

Ergo vt similitudo constet, vxor Oseæ post matrimonium fornicabitur, vt & terra fornicabitur. Et ita egregiè quadrat historia Oseæ habentis vxorem adulteram, cum historia Dei, qui Rempublicam Israëlis duxit vxorem: vt ex ea filios susciperet veræ pietatis amicos, ac idè bonorum Dei hæredes. at Respublica illa coniugij fide violata, suum Deum reliquit, & dijs alienis adhæsit. Hæc est significatio huius, quam interpretamur historiae. ¶ 1. vxorem. Ergo iuncta est hæc mulier nostro Prophetæ, matrimonio legitimo. id enim nomē vxor euincit. Neq; verò me fugit assertio Soti, quod non peccasset Oseas, si coisset cum foemina illa etiam si non esset vxor. Si quidem in eam rem, fuerat Prophetæ à Domino concessa. Id verò ergo non curo: solum hoc vrgeo, foeminam hanc fuisse legitimam vxorem Oseæ. Fateor verbum Hebræum hoc loco, pro vxore mulierem habere: mihi verò sat est, quod nostra versio habeat, vxor. Accusant quidam hîc Deum qui futuram fornicariam duci iussit vxorem. ¶ Accusent ergo quod angelos, futuros malos creauerit: quod Adam in paradyso collocauerit: quod Saulem, Dauidem, Salomonem Reges effecerit: & quod nostro proposito cōuenit, quod filios enutrierit & exaltauerit, qui tamen suo Deo relicto dijs alienis adhæserint. Deus bonos, & liberos facit. Si peccamus, culpa nostra est, & Dei magna prudentia, qui nostris malis vti scit, in glo-

*Soto in 4.**di. 33. q.**1. ar. 2. et**de Iussi.**li. 2. q. 3.**ar 8.***¶***Apoe. 12.**Gen. 3.**Isai. 1.**Eccles. 3.*